

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (67)

5. DE TEMPORE SUB ARCHIABBATE CHRYSOSTOMO SCHMID

5.1. De initiis

5.1.1. *De iuventute deque primis annis monasterialibus*

Secundus Archiabbas Ottiliensis, Chrysostomus Schmid, die 3^o m. Febr. a. 1883^o natus est in vico Westendorf prope Caufburam¹ sito filius fabri tignarii Iohannis Baptistae Schmid eiusque uxore Maria (nata Schaumann).² Cum dies natalis esset ipso die festo Sancti Blasii, secundum traditionem infans nomine Blasii baptizatus est. Blasius Schmid natus erat septimus infans familiae, sed illo tempore tantummodo eius soror Maria³ et eius frater Iacobus⁴ erant inter



Blasius Schmid puer.

-
- 1 *Kaufbeuren*. Cfr Carolus EGGER: *Lexicon nominum locorum*. Roma 1977, p. 163.
 - 2 De biographiā cfr Blasius Schmid: *Kurzer Lebenslauf*, 25.4.1903 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)); *Erzabt und Konvent: Nachruf auf Erzabt Chrysostomus Schmid* (28.9.1962) (ASO, A.1.1 (PA Schmid)); Eugen GUGGEMOS: Dr. P. Chrysostomus Schmid OSB. Ein Westendorfer Bub wird Erzabt von St. Ottilien. In: *Kaufbeurer Geschichtsblätter* 10/8, 1985, pp. 336 sqq.; Godfrey SIEBER: *The Benedictine Congregation of St. Ottilien*. St. Ottilien 1992, pp. 137 sqq.; Godfrey SIEBER: *The Missionary Benedictines of St. Ottilien. A Short History*. St. Ottilien 2016, p. 172 sqq. Breviter etiam Karl Ritter von KLIMESCH (ed.): *Köpfe der Politik, Wirtschaft, Kunst und Wissenschaft*. Augsburg 1951, sine indicio pag.
 - 3 Maria Schmid nata est die 14^o m. Iun. a. 1877^o in vico Westendorf, postea cum Leone Riedle matrimonio erat coniuncta. Maria Riedle, quae illo tempore in Archiabbatia Ottiliensi versabatur, vitā functa est die 16^o m. Sept. a. 1937^o in vico Geltendorf calamitate tramine quodam factā (cfr Ann. Ottil., 16.9.1937 (ASO, A.3.4.5)). - Cfr Eugen GUGGEMOS: *Chrysostomus Schmid*. In: *Kaufbeurer Geschichtsblätter* 10/8, 1985, p. 341, adn. 3.
 - 4 Iacobus [*Jakob*] Schmid, natus est die 11^o m. Febr. a. 1879^o in loco Westendorf. Idem inter annos 1920^{um} et 1928^{um} erat burgimagister vici Westendorf, sed deinde transmigravit Caufburam. Vitā functus est die 21^o m. Apr. a. 1962^o in vico Hindelang. - Cfr Eugen

vivos. Blasio Schmid iam nato tres alii infantes nati sunt, ex quibus sola soror Afra supervixit.⁵

Primo Blasius Schmid inter annos 1889^{um} et 1896^{um} elementariam scholam catholicam in vico Westendorf frequentavit, id est usque ad normalem classem finalem scholae elementariae. Interea autem parochus catholicus vici



Blasius Schmid iuvenis.

Westendorf animum convertit ad puerum intellegendum bonāque indole praeditum. Idem itaque existimavit Blasio Schmid propter ulteriorem eruditionem scholarem gymnasium frequentandum atque examen maturitatis superandum esse. Illo autem tempore saepius accidit, ut parochi studio suo efficerent, ut iuvenes apti ad gymnasium transire possent. Hac vero in re exspectabatur et sperabatur fore, ut illi deinde munus sacerdotis susciperent.

Parentes ergo Blasii Schmid filium Augustano gymnasio Sancti Stephani inscripserunt. Cum vero idem post septem annos scholae elementariae terminum aetatis, qua recipi posset, revera iam transgressus esset, ad gymnasium frequentandum dispensatione indigebat, quam parochus vici instigante et propter optimas notas scholares tamen accepit. Mense Septembri anni 1896ⁱ examine additali superato classes gymnasiales per quinque annos absolvit. Mense Iulio a. 1901ⁱ ad missionarium seminarium Ottiliense transiit.⁶ Ut videtur, iam illo tempore eius consilium maturescebat, quo monasterium Benedictinorum missionariorum intrare vellet. Die 14^o m. Iul. a. 1903^o denique examen maturitatis in

GUGGEMOS: Chrysostomus Schmid. In: Kaufbeurer Geschichtsblätter 10/8, 1985, p. 342, adn. 4.

- 5 Afra Schmid nata est die 28^o m. Mart. a. 1887^o in vico Westendorf. Eadem postea Sororibus Dominicanis se adiunxit et ut Sr. M. Aloisia OSD in Nataliam Africae Meridionalis se contulit missionem exercens. Ibīdem vitā functa est die 26^o m. Sept. a. 1925^o. - *Cfr* Eugen GUGGEMOS: Chrysostomus Schmid. In: Kaufbeurer Geschichtsblätter 10/8, 1985, p. 342, adn. 5.
- 6 De annis scholaribus *cfr* Blasius Schmid: Kurzer Lebenslauf, 25.4.1903 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)); Eugen GUGGEMOS: Chrysostomus Schmid. In: Kaufbeurer Geschichtsblätter 10/8, 1985, p. 337; Godfrey SIEBER (1992), pp. 137 sq.; Godfrey SIEBER (2016), pp. 172 sq.

gymnasio humansitico Dillingensi optimis notis superavit.⁷



Familia Schmid.

A sinistris: Maria soror, mater, Iacobus frater, Blasius, pater, Afra soror.

Immediate post examen maturitatis monasterium Ottiliense intravit et nomen monasticum Chrysostomi accepit.⁸ Novitiatū transacto vota sua protulit die 2^o m. Oct. a. 1904^o.⁹ Studia sua philosophica Fr. Chrysostomus in monasterio Ottiliensi incohavit, sed satis celeriter ab Abbate Norberto Weber ad eruditionem continuandam in Athenaeum Benedictinum Sancti Anselmi Romam missus est.¹⁰ Iam mense Iunio a. 1906ⁱ in Instituto Anselmiano titulum Bac-

7 *Cfr* Maturitatis testimonium gymnasii humanistici Dillingensis, 25.4.1903 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)). - Seminarium missionarium Ottiliense erat quidem gymnasium humanisticum publice agnitum, sed cum esset schola privata, illo tempore examen maturitatis a re publicā agnitum ibidem accipi non potuit. Itaque discipuli seminarii missionarii in aliquo gymnasio circumcirca sito examen subire debuerunt. *Cfr* cap. 4.12.1.1.

8 Eius patronus nominis erat Iohannes Chrysostomus (circiter 345-407), patriarcha Constantinopolitanus et doctor ecclesiae.

9 *Cfr* Necrologium 2015, nr 0635, p. 68; Erzabt und Konvent: Nachruf auf Erzabt Chrysostomus Schmid (28.9.1962) (ASO, A.1.1 (PA Schmid)); Godfrey SIEBER (1992), p. 138; Godfrey SIEBER (2016), p. 173.

10 Godfrey SIEBER (1992), p. 138; Godfrey SIEBER (2016), p. 173 suspicatur Abbatem Norbertum Chrysostomum Schmid consulto ad studia peragenda Romam misisse, ut idem ad munus superius exanclandum in ipsā Abbatia sive in missione praepararetur.



*Familia Schmid Chrysostomo iam monacho facto.
A sinistris: Soror Maria, eius maritus Leo Riedle, mater,
Chrysostomus, pater, frater Iacobus.*

chalaurei sibi acquisivit¹¹ et exacte uno anno post examen Licentiatu Philosophiae superavit.¹² Tamen hunc in modum eius studia in Athenaeo Sancti Anselmi nondum erant finita, cum in dissertationem scribendam incumberet. Cum adhuc in hōc opere conscribendo occupatus esset, Augustanus episcopus Maximilianus von Lingg inter commorationem ferialem in patriā transactam eum mense Octobri a. 1907ⁱ subdiaconum consecravit.¹³ Romam reversus Chrysostomus Schmid dissertationem suam finivit, cui titulus erat «*De*

11 *Cfr* Testimonium Bacchalaurei Philosophiae acquisiti, 29.6.1906. Subscriptum ab Hildebrando de Hemptinne (ASO, A.1.1 (PA Schmid)).

12 *Cfr* Testimonium Licentiatūs Philosophiae acquisiti, 22.9.1907. Subscriptum ab Hildebrando de Hemptinne (ASO, A.1.1 (PA Schmid)).

13 Testimonium benedictionis subdiaconi ab episcopo Maximiliano von Lingg praebitae, 21.10.1907 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)); Ann. Ottil., 28.10.1907 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Oct. a. 1907.

obiectivitate sensibilibus secundarium»,¹⁴ et die 29^o m. Iul. a. 1908^o in doctores philosophiae promotus est.¹⁵ Itaque hunc in modum Chrysostomus Schmid erat primus Ottiliano- rum, qui gradum doctoris sibi acquisiverat.

Paulo postquam ex urbe Roma revertit, even- tūs magni momenti instabant. Nam die 25^o m. Iul. a. 1908^o Chrysostomus Schmid ab episco- po Maximiliano von Lingg diaconus redditus est¹⁶ et iam proximo die, 26^o m. Iul. a. 1908^o, episcopus Abbate Norberto Weber assistente in Augustanā ecclesiā cathedrali benedictionem sacerdotalem ei largitus est.¹⁷ Sollemnitate in ipsā Abbatiā Ottiliensi exhibitā Chrysos- tomus Schmid primitias die 2^o m. Aug. a. 1908^o in oppido patrio Westendorf celebravit.¹⁸



*Chrysostomus Schmid
in sollemnitate primitiarum.*

-
- 14 Agitur, ut videtur, de investigatione epistomologica. - Gratias ago Abbati Primate Ieremiae Schröder OSB eiusque cooperatoribus in Instituto Anselmiano, qui in titulo dissertationis inveniundo tam efficaciter auxilium tulerunt (titulus invenitur in Archivi Anselmiani indice F1907/01B). - Mirum in modum titulus dissertationis nullo alio in loco commemoratur.
- 15 Cfr Promotionis testimonium Chrysostomi Schmid, 29.6.1908. Subscriptum ab Hildebrando de Hemptinne (ASO, A.1.1 (PA Schmid)). Etiam in testimonio promotionis titulus dissertationis non indicatur. - Factum ipsum promotionis commemorant Erzabt und Konvent: Nachruf auf Erzabt Chrysostomus Schmid (28.9.1962) (ASO, A.1.1 (PA Schmid)); Karl Ritter von KLIMESCH (ed.): Köpfe (1951), sine indicio pag.; Eugen GUGGEMOS: Chrysostomus Schmid. In: Kaufbeurer Geschichtsblätter 10/8, 1985, p. 338 (der nur das Jahr angibt); Godfrey SIEBER (1992), p. 138, sed sine indicio anni.
- 16 Cfr Testimonium benedictionis diaconi a Maximiliano von Lingg praebitae, 25.7.1908 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)).
- 17 Cfr Testimonium benedictionis sacerdotalis a Maximiliano von Lingg praebitae, 26.7.1908 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)). - Ann. Ottil., 26.7.1908, S. 74 (ASO, A.3.4.3); Erzabt und Konvent: Nachruf auf Erzabt Chrysostomus Schmid (28.9.1962) (ASO, A.1.1 (PA Schmid)); Necrologium 2015, Nr. 0635, p. 68; Karl Ritter von KLIMESCH (ed.): Köpfe (1951), sine indicio pag.; Eugen GUGGEMOS: Chrysostomus Schmid. In: Kaufbeurer Geschichtsblätter 10/8, 1985, p. 338; Godfrey SIEBER (1992), p. 138; Godfrey SIEBER (2016), p. 173.
- 18 Hoc indicat Eugen GUGGEMOS: Chrysostomus Schmid. In: Kaufbeurer Geschichtsblätter 10/8, 1985, S. 338. - Municipium Westendorf crucem primitiarum, quae in photogra- phemate conspicitur, ante Chrysostomi Schmid domum nativitatē erigendam curaverat. Haec crux usque in annos octogesimos saeculi vicesimi ibi sita erat.

Benedictione sacerdotali acceptā P. Chrysostomus mense Octobri a. 1908ⁱ unā cum aliis clericis Ottilianis Dillingam se contulit, ut ibīdem in Episcopali Athenaeo Theologico-Philosophico in ultiora studia theologica magis incumberet.¹⁹ Cum illo tempore in ipsā Abbatiā eruditio futurorum theologorum non exstaret, omnes clerici Ottiliani in illo Instituto Dillengensi studia sua peregerunt.²⁰

Tamen P.ri Chrysostomo docto atque indole multiplici praedito satis celeriter in Abbatiā munera varia tradita sunt.²¹ Generaliter autem Patres Fratresque adhibebantur etiam ad munera suscipienda, in quibus specialiter non erant eruditi, sed in quibus modo indigentia exstabat. Itaque P. Chrysostomus mense Ianuario a. 1909ⁱ redditus est praefectus Seminarii Ottiliensis²² et ibīdem propter difficultatibus cum magistris saecularibus praeter alios ad breve tempus disciplinam mathematicam docuit.²³ Cum autem mense Octobri a. 1912ⁱ proprium Athenaeum Philosophicum Ottiliense institutum est,²⁴ P. Chrysostomus eius primus Rector factus est et secundum eruditionem suam ibīdem philosophiam, anthropologiam atque geologiam docuit.²⁵ Eodem tempore praeterea munus praefecti clericorum ei traditum est.²⁶

Haec officia intra monasterium efficienda anno 1915^o ad aliquos menses interrupta sunt. Cum enim in fine mensis Iulii a. 1914ⁱ belli indictione pri-

19 Hoc breviter commemoratur Ann. Ottil., 19.10.1908, S. 77 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Oct. a. 1908.

20 Cfr cap. 4.12.1.2.1.

21 De variis officiis, quae a P.re Chrysostomo efficienda erant, brevis enumeratio etiam Erzabt und Konvent: Nachruf auf Erzabt Chrysostomus Schmid (28.9.1962) (ASO, A.1.1 (PA Schmid)); Eugen GUGGEMOS: Chrysostomus Schmid. In: Kaufbeurer Geschichtsblätter 10/8, 1985, p. 339; Godfrey SIEBER (1992), p. 138; Godfrey SIEBER (2016), p. 173.

22 Cfr Ann. Ottil., m. Sept. a. 1909, p. 80 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Ian. a. 1909.

23 Cfr Ann. Ottil., m. Sept. a. 1909, p. 88 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Ian. a. 1909.

24 Cfr cap. 4.12.1.2.1.

25 Cfr Ann. Ottil., 21.10.1912, p. 132 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Oct. a. 1912; Chron. Ottil., m. Ian. a. 1914.

26 Cfr Ann. Ottil., 18.10.1912, p. 132 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Oct. a. 1912; Chron. Ottil., m. Ian. a. 1914. - Insuper munus alterius Patris hospitalarii (Ann. Ottil., 18.10.1912, p. 132 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Oct. a. 1912) et paulo post etiam munus procuratoris generalis accepit. (Ann. Ottil., 9.1.1914, p. 185 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Ian. a. 1914).

P.ri Chrysostomo itaque idem accidit ac plerisque Patribus Fratribusque Ottilianis, quibus multa munera varia tradita sunt et qui nonnulla officia etiam insimul egerunt.

num bellum mundanum erat ortum, P. Chrysostomus eruditione speciali factā Cruci Rubro nomen dedit, ut munere voluntariae curationis aegrotorum fungeretur. Post initium officiale servitii die 12^o m. Febr. a. 1915^{o27} - unā cum Patribus clericis Rocho Schroth atque Gabriele Schwärzler, qui quōque nomina ad hōc servitium dederant - missus est ad oppidum Mars-la-Tours,²⁸ ubi in ipso oppido et circumcirca idem plura valetudinaria militaria erant. Inde a die 17^o m. Febr. a. 1915^o Chrysostomus Schmid in oppido Mars-la-Tours versabatur,²⁹ ubi munere nosocomi, sed etiam munere pastoralis - quod ei erat magni momenti - fungebatur. De condicionibus, quae ibi vigeant, et de experiētiis, quas fecit, relationes ad Abbatiam Ottiliensem misit.³⁰ Chrysostomus Schmid ipsiusque confratres usque ad Kal. Oct. a. 1915^o in oppido Mars-la-Tours manserunt et deinde ad oppidum Chambley³¹ missi sunt, ubi usque ad diē 3^{um} m. Nov. a. 1915^o versabantur.³² Tunc ad oppidum Mars-la-Tour reverterunt, ut ibi usque ad diē 14^{um} m. Nov. a. 1915^o denuo in ae-

27 Cfr Verwendungsbuch Nr. 24093, p. 6 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)).

28 Mars-la-Tours est municipium Francogallicum in provincia Meurthe-Moselle situm. Origo huius nominis invenitur in castris Romanis, quibus erat turris Marti deo dicata insignis. Circumcirca hoc oppidum primo bello mundano saeviente pugnae commissae sunt, quia Francogalli viam ad Metas [Metz] ducendam aperire voluerunt, ut Lotharingiam denuo recuperare possent.

29 Cfr Verwendungsbuch Nr. 24093, p. 12 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)).

30 De hōc commercio epistulari quinque epistolae prolixae asservatae sunt (ASO, A.1.1 (PA Schmid)). Prima epistula die 22^o m. Febr. a. 1915^o data ad Archiabbatem Norbertum Weber est directa. Eādem describitur iter atque status post adventum inventus. Conditionem incolarum indigenorum existimavit illo temporis momento esse «*tristem, sed sustentabilem*» (quod versimiliter magnā ex parte rei conveniebat, sed postea mutabatur). Praeterea comperitur curationem aegrotorum vulneratorumque a Sororibus Mellersdorfiensibus, a diaconissis ex Augusta Vindelicum atque Norimberga exoriundis et a duodeviginti viris nosocomis curationis voluntariae administratam esse. Ab initio P.ri Chrysostomi cottidie missam celebrare et etiam pro incolis Francogallis munere pastoralis fungi licuit. - Reliquae quattuor epistolae, quae asservatae sunt, directae sunt ad Priorem P.rem Martinum Malter (7.3.1915; 21.3.1915; 16.4.1915; 10.11.1915). Iisdem quōque Chrysostomus Schmid descriptiones condicionum realium praebebat, singillatim cursum dierum enarrat, sed etiam commentaria tristis sortis indignenarum dat, qui patriam relinquere coacti erant. Una ex epistulis (16.4.1915) instructa est additamento speciali, quo legitur: «*Ne inter prandium praelegatur! neque devulgetur!*» (Verba originaliter Theodisca).

31 Ibi, ut apparet, etiam Sorores Tutzingenses operabantur. - Cfr Chrysostomi Schmid epistula die 22^o m. Febr. a. 1915^o ad Norbertum Weber directa (ASO, A.1.1 (PA Schmid)).

32 Cfr Verwendungsbuch Nr. 24093, p. 12 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)).

grotis vulneratisque curandis atque in munere pastorali cooperarentur.³³ Dimissus est Chrysosotomus Schmid ex officio sectionis vultudinariorum militarium die 14^o m. Nov. a. 1915^o, cum Archiabbatiā Ottiliensi petente domum revocatus esset.³⁴ Die 17^o m. Nov. a. 1915^o P. Chrysostomus iterum domi in Archiabbatia Ottiliensi erat,³⁵ ut labores suos ibi faciendos denuo susciperet.

P. Chrysosotomus igitur philosophiam anthropologiamque in Ottiliano Athenaeo Philosophico docere perrexit,³⁶ erat praeterea magister novitiorum atque procurator generalis.³⁷ Mense Augusto a. 1916ⁱ Archiabbas Norbertus Weber eum ad tempus Priorem monasterii reddidit, ut vices P.ri Martini Malter in monasterio Swikersperchiensi versantis gereret.³⁸ Idem autem post reditum suum mense Novembri a. 1917ⁱ munus Prioris denuo suscepit. Inter distributionem vero munerum in fine mensis Augusti a. 1919ⁱ factam Archiabbas P.ri Chrysostomo munus Subprioris tradidit.³⁹



P. Chrysostomus Schmid
anno 1918^o receptus.

Sicuti plerique Patres etiam Chrysostomus Schmid multa exercitia pro sacerdotibus et pro sacerdotibus dioecesis Augustanae iubilaeum celebrantibus

33 Cfr Verwendungsbuch Nr. 24093, p. 13 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)).

34 Cfr Verwendungsbuch Nr. 24093, p. 13 (ASO, A.1.1 (PA Schmid)).

35 Cfr Chron. Ottil., m. Nov. a. 1915, ubi legitur P.rem Chrysosotomum «*multa atque scitū digna narrare scire*». Hoc caute dictum erat, quia in Ann. Ottil., 17.11.1915, p. 294 (ASO, 3.4.3) scribuntur haec: «*Postmeridiano tempore P. Chrysostomus e bello revertitur omnino non delectatus experientiis factis.*» (Textus originaliter Theodiscus).

36 Cfr ex.gr. Ann. Ottil., m. Nov. a. 1917, p. 369 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil. m. Nov. a. 1917; Chron. Ottil., m. Aug.-Oct. a. 1921.

37 Cfr ex.gr. Ann. Ottil., 23.8.1916, S. 332; 6.9.1918, p. 426 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil. Sept. 1918. - Munere magistri novitiorum Chrysostomus Schmid usque ad profectionem suam in Coream fungebatur.

38 Cfr Ann. Ottil., 23.8.1916, p. 332 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil., m. Aug. a. 1916. Res etiam commemoratur Erzabt und Konvent: Nachruf auf Erzabt Chrysostomus Schmid (28.9.1962) (ASO, A.1.1 (PA Schmid)); Godfrey SIEBER (1992), p. 138; Godfrey SIEBER (2016), p. 173.

39 Cfr Chron. Ottil., m. Sept. a. 1919. - Hōc quōque munere P. Chrysostomus usque ad profectionem in Coream functus est.

exhibuit, participavit festa missionaria et orationes missionarias habuit.⁴⁰ Scitū quōque dignum est Chrysostomum Schmid iuxta omnes alios labores suos incubuisse in scripta Benedictini P.ri Sabiniani [*Savinien*] Louismet⁴¹ et quaedam eorum ex linguā Anglicā in Theodiscam vertit.⁴² Confratres P.ri Chrysostomi confidentiam in eum habuisse - et in personam et in eius facultates - etiam inde apparet, quod Capitulum generale anni 1921ⁱ ut deputatus participavit.⁴³

Primis mensibus anni 1921ⁱ tamen in condicione Chrysostomi Schmid aliquid mutatum est. Quamquam munera officiaque responsabilia ei tradita erant, quae etiam bene explevit, ut patet, impetus in missionem eundi in ipso emer- sit et videtur petivisse, ut emitteretur. Iam in initio anni 1921ⁱ inter candida- tos possibles missionis Coreanae nominabatur.⁴⁴ P.ri Chrysostomo emissio

40 *Cfr* ex.gr. Ann. Ottil., 6.3.1914, p. 191; 5.5.1918, p. 404; 21.7.1919, p. 465; 6.10.1919, p. 479 (ASO, A.3.4.3); Chron. Ottil. m. Febr./Mart. a. 1912; Chron. Ottil., m. Apr./Mai. a. 1913; Chron. Ottil., a. Mart. a. 1914; Chron. Ottil., m. Oct. a. 1917; Chron. Ottil., m. Iul. a. 1919; Chron. Ottil., m. Sept. a. 1919; Chron. Ottil., m. Oct. a. 1919; Chron. Ottil., m. Aug.-Oct. a. 1921.

41 P. Savinien Louismet OSB (1858-1926) [sacerdotio auctus anno 1882°] per aliquod spatium temporis missionarius erat apud gentes indigenas Oclahomae. Annis suis pos- terioribus divulgavit varia scripta de quaestionibus mysticis, quae originaliter Anglice scripserat et quae postea ipse in linguam Francogallicam verterat.

42 *The Mystic Life* (1916) [*Mystisches Leben*]; *The Mystical Knowledge of God* (1917) [*Die mystische Gotteserkenntnis*]; *Mysticism True and False* (1919) [*Wahre und falsche Mystik*]. *The Mystery of Jesus* (1922) [*Das Geheimnis Jesu*]. Versiones Theodiscae Chrysostomi Schmid editi sunt anno 1920° et anno 1922° in missionaria domo editoria Ottiliensi. - *Cfr* Chron. Ottil., m. Nov./Dec. a. 1920. Eugen GUGGEMOS: Chrysostomus Schmid. In: Kaufbeurer Geschichtsblätter 10/8, 1985, p. 339 commemorat Chrysostomum Schmid in Sabinianum Louismet incubuisse, sed adnotatio sonat, tamquam P. Chrysostomus ipse libros de illo auctore scripsisset. - Etiam Karl Ritter von KLIMESCH (ed.): Köpfe (1951), sine indicio pag. scribit tales versiones Sabiniani Louismet editas esse.

43 De quaestione difficili, quo agebatur de deputatis Capitulum generalem participantibus *cfr* Vol. 2, cap. 9.2.1; cap. 9.6. - Chron. Ottil., m. Aug.-Oct. a. 1921 legitur Chrysostomum Schmid ut deputatus Conventus Ottiliensis participavisse. Tamen hōc locō error irrepsit, uti ex protocollo primae sessionis, 22.11.1921 (ASO, K.3) et ex antecedente commercio epistulari Norberti Weber cum Abbate Primate atque cum Congregatione Religiosorum apparet, cum Chrysostomus Schmid revera esset deputatus Abbatiae Seulensis. - Ad hanc rem *cfr* Vol. 2, cap. 9.6., adn. 1428.

44 *Cfr* Chron. Ottil., m. Ian.-Mart. a. 1921; Thomas SPREITER: Tagebuch, 19.1.1922 (ASO, A.1.8.1). - Causa, cur Chrysostomus Schmid in regionem missionariam mitti voluit, videtur in dissensionibus cum Archiabbate Norberto inveniri, fortasse propter diversam

in Coream revera praebebatur⁴⁵ et in fine mensis Novembris a. 1921ⁱ in Coream profectus est unā cum P.re Meinrado Schweinberger, P.re Philippo Lenz atque P.re Pio Emmerling Ottiliensibus et cum P.re Victorino Zeileis Suarzacensi. Chrysostomus Schmid illo tempore paene undequadragesimo annos habuit, quā de causā, quod attinet ad primum officium missionarium, non iam prorsus iuvenilis erat.

5.1.2. De laboribus missionariis in Corea exanclatis

Grex novorum missionariorum mense Februario a. 1922^o in Coream advēnit.⁴⁶ Iuxta labores, quos statim susceperunt, cum eis urgenter indigebatur, alium cultum civilem cognoscere atque linguam Coreanam addiscere debuerunt, quae difficilis habetur. Tamen sine loquelari scientiā sufficiente labor missionarius, munus pastorale atque institutio scholaris fieri non potest. De P.re Chrysostomo dicitur eum hanc linguam satis celeriter addiscere potuisse. Nihilominus refertur eum mense Ianuario a. 1923ⁱ per aliquod spatium temporis ad stationem missionariam Amsong se contulisse, ut intende in studia loquelaria incumberet.⁴⁷

Iam tempore adventuali a. 1922ⁱ P. Chrysostomus inde ab oppido Wonsan P.rem Andream Eckardt, qui iam ex anno 1909^o in Coreā commorabatur atque linguam fluenter calluit, comitatus est in itinere circulari, quod ad omnes stationes externas oppidi Wonsan duxit, ut partem regionis missionariae videret, condiciones atque modum missionarium perciperet. Talibus in itineribus, quae missionarii regulariter fecerunt, catechistae visitabantur, catechumeni examinabantur, cum Christianis missae celebrabantur. Ea, quae

perceptionem modi ducendi. In epistula Thomae Spreiter die 19 m. Mart. a. 1921 (ASO, Z.3.01.4) in conexū, quo agitur de disciplina, quae propter nimiam benignitatem Archiabbits everteretur, legitur: «*Subprior Chrysostomus in Coream venire urget, quia difficultatibus et conflicationibus conscientiae suae effugere vult.*» (Verba originaliter Theodisca).

45 Cfr Chron. Ottil., m. Nov. a. 1921-m. Febr. a. 1922. - Cfr etiam Necrologium 2015, nr 0635, p. 68; Erzabt und Konvent: Nachruf auf Erzabt Chrysostomus Schmid (28.9.1962) (ASO, A.1.1 (PA Schmid)); Eugen GUGGEMOS: Chrysostomus Schmid. In: Kaufbeurer Geschichtsblätter 10/8, 1985, p. 339; Godfrey SIEBER (1992), p. 138; Godfrey SIEBER (2016), p. 173. Cum illis locis legitur Chrysostomum Schmid mense Februario a. 1922ⁱ «*crucem missionariam*» accepisse, tunc eius adventus in Corea significatur, non vero eius destinatio ad missionem vel profectio ex Germaniā.

46 Rem breviter commemorat Johannes MAHR: Aufgehobene Häuser. 1. St. Ottilien 2009, p. 300.

47 Cfr Chron. Seoul., m. Ian.-Iul. a. 1923.

hōc in itinere primo expertus est atque animadvertit, P. Chrysostomus relatione ad patriam directā descripsit.⁴⁸

Aestate anni 1923ⁱ P. Chrysostomus unā cum P. Leonhardo Weber vēnit ad stationem Paldogu, quae circiter triginta chiliometris a oppido Yenki distans sita erat, ut ibīdem auxilium ferret.⁴⁹ Tale auxilium necessarium erat, quia P. Canisius Kügelgen, qui alioquin illā in statione operabatur, mandatum acceperat, ut in loco Palji novam stationem conderet. Tamen commoratio in statione Paldogu non nimis diu durabat, cum P. Chrysostomus mense Augusto a. 1923ⁱ parochus oppidi Wonsan et hunc in modum Superior huius stationis, quae etiam sedes episcopalis erat, redditus est⁵⁰ et sic illo in loco successor P. ris Andreae Eckardt factus est.⁵¹ Ut adiutor ibīdem P. Sebastianus Schnell cooperatus est.

Annis insequentibus P. Chrysostomus omnes in labores officiaque intende incubuit, quos alii quoque Superiores stationum effecerunt.⁵² Hoc significat eum scholas easque amplificandas curavisse, eum novos Christianos convertere conatum esse, eum regulariter itinera ad stationes externas fecisse, eum

48 Cfr Chrysostomus SCHMID: Auf Apostelpfaden im Heidenland. In: Mbl 27, 1923, pp. 118 sqq.; pp. 129 sqq. - Johannes MAHR (2009) 1, pp. 323 sqq. hanc relationem fuse exscribit.

49 Vgl. Chron. Seoul, m. Ian.-Iul. a. 1923. - De hoc eventu etiam Johannes MAHR (2009) 1, p. 361.

50 Chrysostomus Schmid usque ad hōc tempus fuerat Prior Abbatiae Seulensis. Verisimiliter P. Chrysostomus satis celeriter Prior Abbatiae Seulensis redditus est, quia ex tempore suo Ottiliensi ipsi iam erat experientia munerum Prioris atque Subprioris.

51 Cfr Chron. Seoul, m. Iul.-Dec. a. 1923. - Rem etiam commemorat Johannes MAHR (2009) 1, p. 364.

52 Scitū digna est contributio Chrysostomi Schmid ad partem «Paginarum missionariorum», cui titulus est «Epistulae ex missione missae» [*«Briefe aus der Mission»*] (Mbl 28, 1924, pp 158 sqq.). Ibidem futuris missionariis Coreae explicat, quid eis sit alicuius momenti et quid eos exspectet. Primo necessariam scientiam linguarum demonstrat, qua in re praeter linguam Coreanam imprimis lingua Anglica est magni momenti. Tamen existimat non esse vere utile iam in Germaniā linguam Coreanam addiscere velle, nisi hoc cum homine Coreano fieri possit. Punctum vero saliens scilicet est labor in Coreā exanclandus, qui et ad munus pastorale Christianis iam exsistentibus praebendum et ad ipsum opus missionarium non-Christianorum spectat. His in explicationibus Chrysostomus Schmid illustrat in ipsā Coreā opus missionarium esse maioris momenti, cum in Manciuriā ad Apostolicum Vicariatum pertinente munus pastorale sit pars maioris ponderis, quia multi Coreani, praesertim Christiani, variis ex causis illuc transmigraverint.

exercitia pro Fratribus Europaeis Coreanisque exhibuisse.⁵³

P.ri Chrysostomo amplam profundamque scientiam linguarum fuisse magni momenti, ut sub variis aspectibus labores suos quam optime efficeret, etiam inde apparet, quod linguam Iaponicam addiscere voluit. Cum Corea illo tempore provincia Iaponica administrationi Iaponicae subiecta esset, certe emolumento erat hanc linguam callere. Itaque in fine mensis Maii a. 1925ⁱ Sapporum⁵⁴ ad Franciscanos Germanos se contulit, ut in ipsā terrā in studia loquelaria incumberet.⁵⁵ Tamen notatu dignum est illam P.ri Chrysostomi commorationem Iaponicam eodem tempore susceptam esse, quo Archiabbas Norbertus Weber secundum Coreanum iter visitationis fecit.⁵⁶ Cum illi duo viri non iam omni ex parte inter se consentirent - ut etiam ex petitione in missionem mittendi apparet - P. Chrysostomus terminum itineris sui fortasse ita constituit, ut congressum Archiabbatis, quantum fieri potuit, vitare varet. Tamen die 20^o m. Maii a. 1925^o inter se convenerant, cum Archiabbas



Domus episcopalis in oppido Wonsan sita.

53 Cfr ex.gr. Chron. Seoul, m. Ian.-Apr. a. 1924; Chron. Wonsan, m. Iul.-Dec. a. 1925; Chron. Seoul, m. Mai.-Dec. a. 1925; Chron. Wonsan, m. Iul. a. 1926-2.2.1927; Chron. Seoul, m. Ian.-Aug. a. 1927.

54 Sapporum: *Sapporo*. - Cfr Carolus EGGER (1977), p. 280.

55 Cfr Chron. Wonsan, m. Ian.-Iul. a. 1925; Chron. Seoul, m. Mai.-Dec. a. 1925. - P. Chrysostomus die 24^o m. Sept. a. 1925^o ex Iaponia reverterat (cfr Chron. Wonsan, m. Iul.-Dec. a. 1925).

56 Norbertus Weber die 15^o m. Maii a. 1925^o Seulum advenerat et mense Decembri eiusdem anni iterum in Germaniā erat.

Norbertus oppidum Wonsan visitavit atque P. Chrysostomus Superior eum ibi recepit.⁵⁷

Postquam Vicariatum Apostolicum Wonsan anno 1920° erectum atque Benedictinis traditum est, episcopo Bonifatio Sauer satis celeriter persuasum erat necessarium esse, ut Abbatia Seulensis in ipsam regionem missionariam esset transferenda. Tamen translationi statim faciendae nonnullae difficultates varii generis obstabant.⁵⁸ Nihilominus praedispositiones continuabantur et si tradissime anno 1924° in loco Tokwon area apta erat inventa atque magnā ex parte empta.⁵⁹ Inde ab anno 1926° Benedictini monasterium atque aedificium seminarii erigenda incipere potuerunt.⁶⁰

Episcopus Bonifatus Superiori stationis Wonsan P.ri Chrysostomo Schmid officium tradidit, quo aedificationem curaret atque consultationes cum variis opificinis cooperantibus iniret. Hoc erat officium superadditum, tempus

57 Cfr Norbert WEBER: Reisetagebuch Korea 1924/25, 20.5.1925 (ASO, A.1.8.1). - Interpretatio, quam Johannes MAHR (2009) 1, p. 443 exhibet, P.rem Chrysostomum propter rixam satis vehementem cum Archiabbate Norberto habitam, quae ad aedificia stationis Wonsan spectavisset, ex improvise ex statione Wonsan profectum esse atque iter Iaponicum suscepisse, non omnino est intellegibilis. Notitiis in diario itinerario Norberti Weber tantummodo condiciones describuntur: aedificia scholastica laudantur, cappella pristina, quae interea iam alio loco sita erat, critice aspicitur, domus missionariorum, id est domus episcopalis sic dicta, cuius loco iam novum aedificium praedispositum erat, omni exiguitate suā monstratur. Summatim Norbertus Weber scripsit: « *Aspectus in summa est tristis atque miser. Hoc est palatium episcopi Vicariatūs Wonsan.* » (Verba originaliter Theodisca). Tamen hoc missionarii quōque Coreani ipsi sciverunt, quibus eadem perceptio erat. De rixa cum P.re Chrysostomo ibi nihil commemoratur, quam Norbertus Weber certe adnotavisset. Praeterea Archiabbas quoad aedificia areasque aedificatorias semper aperte dicere, si quid ipsi non ita opportunum esse videbatur, et proposita proferre solebat. Etiam de dissensione, quod attinet ad aedificandi aream futuram Abbatiae Tokwon nihil commemoratur, quam aream Norbertus Weber ceterum denique proximo die inspiciebat. - Hōc in conexū praeterea considerandum est P.rem Chrysostomum stationem suam propter dissensionem quandam certe non ex improvise reliquisse neque iter Iaponicum, quod ceterum praeparandum fuisset, umquam sine licentiā episcopi sui suscepisse.

58 Illae difficultates praeter alia cohaerebant cum venditione necessariā Abbatiae Seulensis. - Cfr de hac re fusius cap. 4.10.1.2.1.

59 Ceterum Archiabbas Norbertus iter suum visitationis maximā ex parte eā de causā susceperat, quia episcopus Bonifatus eum rogaverat, ut aream Abbatiae aedificandae destinata diiudicaret. Omnino autem non erat dubitandum, quin Norbertus Weber aedificationi novae Abbatiae obsisteret. E contrario, eius multum intererat in regione missionariā Abbatiae erigi.

60 De hac re cfr breviter cap. 4.10.1.2.1.

consumens atque responsalitatē plenum, quo praeterea multa itinera ad aream aedificatoriam erant necessaria.⁶¹ Nihilominus quod episcopus P. rem Chrysostomum ad hoc officium exhibendum elegit, pondus quoddam habuit. Itaque nemo miratus est episcopum Bonifatium in initio mensis Maii a. 1927ⁱ brevi ante exercitia, quae P. Chrysostomus Seuli prae-buit, nuntiavisse Chrysostomum Schmid Priorem novae Abbatiae Tokwon futurum esse.⁶² Eius successor in statione Wonsan P. Lucius Roth redditus est.⁶³

Ipsa transmigratio ex urbe Seulo ad locum Tokwon mense Octobri a. 1927ⁱ inchoata est,⁶⁴ cuius praeparationes P. Chrysostomus strenue participavit. Die 10^o m. Oct. a. 1927^o deinde ad locum Tokwon itineratus est, ut ibidem instructionem novi monasterii observaret. Transmigratio autem definitiva in Abbatiam novam facta est die 17^o m. Nov. a. 1927^o, quamquam aedificium monasterii nondum omnino confectum erat. Inter consultationem diei 20ⁱ m. Nov. a. 1927ⁱ in Abbatia Tokwon habitam episcopus Bonifatius denique actu officiali P. rem Chrysostomum Priorem Abbatiae Tokwon atque Provicarium Vicariatūs reddidit.⁶⁵

Tamquam Prior Abbatiae Tokwon P. ri Chrysostomo varia officia erant, et quod attinebat ad ipsum monasterium ducendum et cum agebatur de officiis repraesentativis, de contactu cum magistratibus, de condicione, qua Abbate absente eius vice fungebatur, atque de itinieribus visitationis in regione

61 Chron. Seoul, m. Ian.-Aug. a. 1927 hoc expressis verbis commemoratur.

62 *Cfr* Chron. Seoul, m. Ian.-Aug. a. 1927; Chron. Wonsan, 1.7.1927-31.12.1927. - P. Chrysostomus usque ad mensem Augustum a. 1927ⁱ in statione Wonsan mansit, ut missionarios recenter adventos curaret.

63 Antequam transmigratio in locum Tokwon fieri potuit, P. Chrysostomus episcopum Bonifatium in duobus itineribus longioribus intra regionem missionariam factis comitatus est. Unā ex parte agebatur de itinere mense Iunio a. 1927ⁱ suscepto, quod ab statione Wonsan ad oppidum Pyeng-yang duxit et quo episcopus Bonifatius partem Vicariatūs cognoscere voluit, quam nondum viderat (*cfr* Chron. Seoul, m. Ian.-Aug. a. 1927; commemorat hoc iter Johannes MAHR (2009) 2, p. 106). Alterā ex parte agebatur inde ab mense Augusto a. 1927ⁱ de tertio itinere visitationis confirmationisque praebendae in regionem Kanto in Mancuriā sitam (*cfr* Chron. Tokwon, m. Aug.-Dec. a. 1927), Chron. Wonsan, 1.7.1927-31.12.1927). Quod hunc comitem itineris elegit, ultiora consilia episcopi Bonifatii manifestantur.

64 *Cfr* Chron. Tokwon, m. Aug.-Dec. a. 1927; Johannes MAHR (2009) 2, p. 20.

65 *Cfr* Chron. Tokwon, m. Aug.-Dec. a. 1927; rem breviter commemorat Johannes MAHR (2009) 2, p. 28. - Sententia, quam episcopus Bonifatius de hac re mense Maio a. 1927ⁱ Seuli protulerat, versimiliter potius enuntiandum non officiale erat, ut mutationem Superioris in statione Wonsan praeparare posset.

missionariā. Praeterea in Abbatia quōque Tokwon iterum consultationes atque catecheses Fratribus Europeis Coreanisque praebendas suscepit et insuper institutiones in seminario exhibuit.⁶⁶ Scitū dignum videtur praeterea esse iter, quod inde a die 11^o m. Sept. a. 1929^o usque ad diem 11^{um} m. Oct. a. 1929^o ad locum Tsinanfu in Sinis Septentrionalibus situm fecit.⁶⁷ Ibīdem unā ex parte Conventui Franciscanorum illo loco operantium exercitia praebere voluit, alterā ex parte in animo habuit maioris momenti centra catholicae missionis in Sinis Septentrionalibus visitare, nempe studiorum universitatem Benedictinam Pekini⁶⁸ sitam, missionarios Steylenses in Vicariatū Yenchofu atque Iesuitas in oppido Tientsin/Tianjin.



*P. Chrysostomus cum Christianis Coreanis ante monasterium Tokwon receptus.
Ultimum photographema communiter factum.*

Cum hi omnes labores normales atque reliquae actiones fierent, in fine mensis Iunii a. 1930ⁱ telegraphemate ex Roma misso nuntius missionariis atque ipsi P. tri Chrysostomi omnino inopinatus allatus est⁶⁹ Chrysostomum Schmid Abbatem Coadiutorem Archiabbatiae Ottiliensis constitutum esse. Die 30^o m. Iun. a. 1930^o etiam P. Chrysostomus ipse tale telegraphema acce-

66 Cfr ex.gr. Chron. Tokwon, m. Ian.-Iul. a. 1928; Chron. Tokwon, m. Iul. 1928-31.1.1929; Chron. Tokwon, 1.9.1929-31.12.1929; Chron. Tokwon, 1. dimid. a. 1930. - In seminario P. Chrysostomus, cum indigentia esset, exempli gratiā docuit religionem, physicam, linguam Latinam, philosophiam.

67 Cfr Chron. Tokwon, 1.9.1929-31.12.1929.


68 Pekinum: *Peking*. - Cfr Carolus EGGER (1977), p. 238.

69 Cfr Chron. Tokwon, 1. dimid. a. 1930. - Abbas episcopus Bonifatius Sauer ab Abbate Primate iam aliquatenus praeparatus erat aliquid huiusmodi fieri posse.

pit nuntio mandatoque addito, quo quam celerrime in Germaniam veniret. Haec progrediendi ratio, quā Coadiutor quidam Archiabbatis Norberti Weber institueretur, necessaria facta est, quia Archiabbatia propter magna problema-
ta pecuniaria atque propter conflictationes internas in difficultates extra-
ordinarias intrusa erat.⁷⁰

Etiamsi omnes consentiebant Chrysostomum Schmid esse virum aptum, a quo Archiabbatia iterum stabiliri potuit, tamen in missione Coreanā omnes graviter commoti erant propter hunc eventum omnino inexpectatum. Episcopus Bonifatius optimum cooperatorem suum amisit, quem revera ut successor suus fieret, sibi proposuerat. Ipse Chrysostomus Schmid et nuntio et officio futuro graviter commotus erat. Nam in animo habuerat usque ad finem vitae in Coreā mansurum esse et missioni se dediturum esse. Tamen - gravi corde quidem - assentiri debuit, cum necessitatem rei statutae mente comprehendit. Tamen omnino nullam illusionem habuit, quam grave munus suum futurum esset.⁷¹

Successorem P.ris Chrysostomi ut Priorem Abbatiae Tokwon episcopus Bonifatius reddidit P.rem Lucium Roth,⁷² qui a P.re Chrysostomo iam munus Superioris stationis Wonsan susceperat.⁷³ P. Lucius mansit usque ad annum 1949^{um}, hoc significat usque ad calamitatem in Coreā factam, Prior Abbatiae Tokwon atque Provicarius Vicariatūs Apostolici Wonsan.



P. Lucius Roth.

70 De origine problematum pecuniariorum internorumque *cf.* imprimis cap. 4.13; cap. 4.14.1.; de progressū usque ad instructionem Coadiutoris *cf.* cap. 4.14.2.

71 De conexū et de eventibus in Coreā *cf.* cap. 14.4.2.

72 *Cf.* Chron. Seoul, 1.1.1930-1.1.1931; Chron Tokwon, m. Iul.-Dec. 1930.

P. Lucius Roth natus die 19^o m. Febr. a. 1890^o in vico Weichtungen in dioecesi Herbi-
polensi sito vota sua protulit Kal. Iun. a. 1916^o in Abbatia Ottiliensis. Philosophiae et
theologiae studuit in Instituto Romano Sancti Anselmi, ubi in doctores quōque theologiae
promotus est. Die 5^o m. Iul. a. 1914^o Romae sacerdotio auctus est. Emissionem suam in
regionem missionariam Coreanam die 17^o m. Aug. a. 1914^o accepit. Dies exactus eius
mortis non est notus. Versimiliter in initio mensis Octobris a. 1950ⁱ unā cum aliis
confratribus a communistis Coreanis sclopeto interfectus est. - *Cf.* Necrologium 2015, nr
0486, p. 54; ASO, A.1.1 (PA Roth).

73 Munere Superioris in statione Wonsan tunc P. Fabianus Damm functus est (*cf.* Chron.
Wonsan, 1.1.1930-1.1.1931).

Ut in regione missionaria Coreana profectio P.ris Chrysostomi percepta esset, chronista his verbis expressit:⁷⁴ *«Iactura, quam et Abbatia et tota missio dicessione eius patiuntur, haud facile terminari potest, eodem modo ac labores, quos P. Prior octo annis adsiduitatis huic loco praebitae et missionarius in loco Wonsan et Prior Abbatiae praestitit, paucis verbis describi non possunt.»*



*Chrysostomi Schmid profectio ex Abbatia Tokwon
(a dextris episcopus Bonifatius Sauer).*

Profectio Chrysostomi Schmid propter urgentiam rei tunc satis celeriter peracta est. Die 11^o m. Iul. a. 1930 Abbatiam Tokwon atque Coream reliquit, ut in Germaniam se conferret.⁷⁵

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 241, 2025, pp. 365-381]

74 Chron. Tokwon, l. dimid. a. 1930. - Textus originaliter Theodiscus.

75 Cfr Chron. Tokwon, m. Iul.-Dec. a. 1930; Willibald KUGELMANN: Gründungsbericht der Abtei St. Benedikt in Seoul. In: Adelhard KASPAR / Placidus BERGER (edd.): Hwan Gab. Münsterschwarzach 1973, p. 105; Johannes MAHR (2009) 2, p. 149 de mense Iulio a. 1930ⁱ scribit exactum diem non indicans.

Sensūs in valedictione describit chronista (Chron. Tokwon, m. Iul.-Dec. a. 1930): *«Missio Dominum Reverendissimum solum illibenter abeuntem vidit; nam cum ipso cooperatorem excellentem amittit. Modo plenissimo amorem et confidentiam confratrum atque Christianorum sibi acquisivit, ita ut omnes eius discessionem ex missione dolent.»* - Textus originaliter Theodiscus.